



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

8. Explicantur aliqui Casus, an quis teneatur propter extremam necessitatem spiritualem proximi exponere propriam vitam? Sed hic est aliud pulchrum dubium. Quaedam obstetrix fatetur infantes invalidè ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

tatio accidentalis, accidens verò non tollit rei essentiam, sed potest adesse & abesse sine ejus interitu.

2. Sed gratum erit lectoribus, ut reor, audire circa præsentem quæstionem Nugnum, *tom. 1. in 3. part. q. 60. art. 8.* ubi sic ait. Quarta mutatio est per interpolationem, sive disjunctionem verborum, ut si quis dicat. Ego te baptizo, & ibi sistat, vel etiam admisceat alia verba, & postea subdat; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & tunc si sit parva morula, ita ut secundum regulas phisicas, & dialecticas sit una propositio, erit verum Sacramentum; si verò sit tanta disjunctio verborum, ut secundum easdem regulas non judicetur una, & eadem propositio, non erit Sacramentum, & hoc intendit D. Th. in *art. 8. solutione ad 3.* in illis verbis: *Si intercipiatur inventio proferentis*; sensus enim est, si sit tanta distantia, quòd debeat intercipi sensus proferentis secundum regulas dialecticas & philosophicas, propterea quòd est tanta discontinuatio, ut oratio non possit esse una secundum propriam suam unitatem. Ubi advertendum est multò facilius fieri istam discontinuationem per admixtionem aliorum verborum, quam quando sit tantum sistendo in medio. Quoniam qui alia verba admisceat, intendit ad aliam orationem, & sic per se loquendo, omittit præsentem, atque adeò videtur quòd non possit illam continuare. Item facilius discontinuatur oratio, quando sit interruptio inter syllabas ejusdem termini, quam si sit inter terminum, & terminum: ut si quis dicat. Ego te baptizo, & in-sistat, vel admisceat alia verba, & postea subdat tizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, tunc enim licet non sit magna distantia, sed mediocris, non conficitur Sacramentum. Ita Nugnus. Et tandem hanc sententiam tenet etiam Marchantius *de Sac. in 99. regul. tract. 1. c. 2. q. 2. cas. 3. fol. mihi 556* ubi ita asserit. Quid dicendum, si quis interrumpat, verba formæ, e. g. Sacerdos baptizans dum dixit, Ego te baptizo, dicit pueris tumultuantibus, Recedite inde, & nolite ibi garrere, postea addit, in nomine Patris, &c. aut forte dum baptizando dixit, Ego te baptizo, retrahente se puero dicit, Admove te propius puerum fonti, & postea addit, in nomine Patris, &c. Respondetur, licet in his irreverentia intervenire possit alienis verbis interpolando verba formæ, tamen valere Sacramentum, quia moraliter judicatur ex antecedentibus & subsequenter verbis una fieri oratio, si autem notabilis sit mora, idem non judicatur, & ideo nullum foret Sacramentum. e. g. si quis nunc dicat, Ego te baptizo, & post quadrantem horæ adiciat, in nomine Patris, &c.

RESOL. VII.

An qui est in peccato mortali teneatur providere aliene salutis cum vitæ discrimine? Ex part. 5. tract. 13. & Miscell. 1. Refol. 23.

Quoad hoc in to. 5. tr. 6. lege doctrinam Ref. 42. & signanter §. Hæc tamen.

§. 1. **S**uppono ex Villalobos in *summa*, *tom. 1. tract. 3. difficult. 7. mem. 7.* & aliis communiter, in extrema necessitate proximi teneri unumquemque cum vitæ periculo ei succurrere, nisi qui opem est laturus, periculo se exponat, amittendi justitiam; vt si quis, v. g. timeat cruciatuum sevitiam, nec se satis existimet ad eam, perferendam, teneatur se cohibere. Et secundò, nisi quis teneatur strictiori vinculo aliis proximis, qui, ipso vita functo, magnum sint subituri discrimen pereundi. Hoc supposito ad dubium propositum Hurtadus

de Mendoza in *2. 2. disp. 144. sect. 3. §. 25.* distinguit duo genera periculorum. Primum imminet ab hominibus in odium fidei, aut pietatis, tunc unumquisque tenetur providere proximo, quia attritio supernaturalis facilis est cum gratia Dei, cum qua salutem assequitur æternam, quia vel illa sufficit cum martyrio (etenim tunc martyrium esset,) vel Deus tunc ei contritionem providit; ipse autem actus est se martyrio obicci, qua in occasione, Deo favente, nullus perit, nisi ipse sponte desiciat, quod ipse tunc timet probabiliter, sed potius sperat à Deo auxilia efficaciter ad ferendos cruciatum. Secundum genus periculi est, vel à rebus inanimatis, vel ab hominibus non in odium Dei, sed privatum; ut si moribundus sit ultra flumen, quod sum trajecturus cum periculo, ut ægrum absolvam, aut baptizem, vel sum comprehendendus ab inimico privato, & occidendus, tunc si possum facile exercere amorem Dei super omnia, & valde probabiliter opinari me esse reconciliatum Deo, non secus ac id existimo per confessionem, tunc teneor subire mortis discrimen, quia non est necessaria certitudo, sed prudens opinio de justitia sanctificante. At verò si homo sit diuturnis peccatis assuetus, & perdifficilis ad contritionem perfectam, nec satis sibi persuadet verum amorem Dei, & nixus illum exercere, adhuc prudenter timet, non tenetur se exponere periculo mortis, quia in periculo aequali prius tenetur sibi, quam proximo; adultus autem moribundus tenetur se disponere; quòd si adultus non sit, nullus ei tenetur providere cum gravi periculo æternæ salutis. Immo Bannez in *art. 5. concl. 2.* omnia peccatorem excusare videtur, dum asserit, hominem justum teneri: ergo peccator non tenetur.

RESOL. VIII.

Explicatur aliqui casus, an quis teneatur propter extremam necessitatem spiritualem proximi exponere propriam vitam:

Sed hic est aliud pulchrum dubium. Quadam obstetricis fuerit plures infantes invalide baptizasse, &c. quaritur in hoc casu, quid obstetricis, & confessarius cum ipsa obstetrice facere debeat? Ex part. 3. tract. 5. Misc. 1. Refol. 50.

§. 1. **P**rimò quæritur, an Sacerdos teneatur audire, & absolvere cum discrimine vitæ propriæ illum, qui in articulo mortis timet non habere sufficientem contritionem, & ideo petit Confessarium ad obtinendam sacramentalem absolutionem. Affirmativè respondent Valentia *to. 3. disp. 7. q. 4. punct. 4. post §. asserit.* Lorca in *2. 2. sect. 3. disp. 28. num. 32.* Suarez *tract. de fide. disput. 9. sect. 7. num. 3.* Sylvius in *2. 2. quest. 26. artic. 5.* cum aliis, quia etsi talis per contritionem salvari possit, hæc tamen ei est difficilis, & ipse merito timet, an sit contritus.

2. Sed hoc aliis (ait Coninch *tract. de fide. disp. 25. dub. 7. num. 89.*) videtur difficile: unde meritò (ait ille) Navarr. *c. 24. num. 9.* hunc casum limitat ad existentem in peccato mortali, qui omnino ignorat sibi necessariam esse contritionem extra susceptionem Sacramenti, aut omnino ignorat quid sit contritio, & quomodo eam possit in se excitare, atque ita non cogit se ad eam habendam. Non est igitur absolute dicendum moriturum existentem in peccato mortali qui creditur, non esse contritus, esse in extrema necessitate; secus autem in casu Navarr. ut *suprà*.

Quantvis non plene sup. hoc lege tamen infra post mediū Ref. 68. vers. confirmatur, & vide doctrinā Ref. 49. Et signanter sup. hoc in to. 5. tr. 6. Ref. 42. in fine, & in tom. 2. tr. 4. ex refol. 16. §. 2. ad lin. 4. & in §. ult. ad lin. 3. &c.

Sup. hoc le-
ge doctrina
Ref. seq.

3. Sed ponam hic pulchrum dubium. Obstetrix quaedam fatetur plures infantes invalide baptizasse, quibus postea à Parocho sine alio baptismo ca- remonie tantum adhibita fuerunt; personæ autem istæ non verè baptizate, etiam si adhuc vivant, sunt tamen per varias civitates, vel regiones dispersæ, ut consideratis omnibus nullus modus excogitari possit, quo illis defectus baptismatis significetur, nisi mulier se prodat Magistratui, & ultimum supplicium subeat; difficultas est an hoc efficere teneatur, & quid Confessarius facere de- beat? Ad hanc quaestionem ita respondet Layman in *Theol. mor. lib. 2. tr. 3. c. 3. num. 3.* licet casum istum speculative considerando, probabilissimum videatur, quod hæc mulier teneatur se ipsam Magistratui prodere; quia salus corporis ex lege charitatis postponenda est saluti animæ, præsertim non unius, sed plurium personarum. Imò hæc obligatio ex iustitia esse videtur, quandoquidem ipsamet mulier homines illos innocentes in salutis suæ discrimen per summam injuriam coniecit. Tamen hic ipse discursus fortasse non tam certus est, ut à nemine in dubium revocari possit, cum homines illi per contritionem salvari possint. Sed quidquid sit de hac responsione, saltem mulier cui ponimus obligationem hanc se ipsam prodendi, & ad mortem offerendi, non agnoscit; edocere autem illam probabiliter ignorantem in re non omnino evidenti, consultum non est, si Confessarius arbitretur se non persuasurum, sed magis obfuturum, ut dicam *lib. 5. tract. 6. c. 13. num. 5.* Imò si Confessarius id mulieri explicaverit, & ab isto tam heroico facto plenè abhorrentem conspiciat, non illam urgendam multum arbitror, dicendo, v. g. aliter salvam fieri non posse; ne omnino in desperationem agatur: sed contentus esse debet, si mulier in postea à peccatis, & sacrilegijs ejusmodi abstinere firmiter proponat. Ita Layman *ubi supra.*

RESOL. IX.

An qui ministrat Sacramentum Baptismi, & Ordinis invalide, teneatur cum periculo vite, & honoris manifestare hunc defectum?
Et quid maximè, si invalide fuisset collatus Ordo Sacerdotalis, aut Episcopalis? Ex Part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 55.

Sup. hoc pro-
bapismo
lege 5. Sed
ponam. Re-
f. præcisi-
on.

§. 1. Videtur negativè respondendum, quia licet Confessarius, qui dedit absolutionem invalidam, teneatur admonere poenitentem de tali defectu; hoc tamen Doctores communiter asserunt procedere, nisi grave damnum, aut scandalum sequatur Confessario; ergo.
2. Verum affirmativam sententiam tenet Petrus Ochagavia de *Sacram. tract. 2. de Confessione sacra- mento, quest. 41. num. 6.* ubi sic ait. Secus est in Baptismo & in Ordine; ut cum quis invalide hæc ministrasset, quia enim ex hoc multa possunt graviora mala sequi, ideo teneretur minister revelare hos defectus, etiam cum magno honoris, aut vite periculo. Sic ille. Et ad argumentum superius adductum potest quis respondere esse disparem rationem, quia Confessarius in illo casu non tenetur monere poenitentem; nam poenitens tunc potest per aliam confessionem, vel contritionem justificari, & licet contra hoc videatur obstare confessionis integritas, contra quam videtur fieri, si illa peccata non iterum confiteatur, tamen si propter

dictas causas potest poenitens in confessione omittere aliquod peccatum, ita poterit Confessor propter eas relinquere admonitionem, & permittere poenitentem non integrè confiteri de illis peccatis.

3. Sed his non obstantibus opinionem Ochagavia quoad sacramentum Baptismi veram esse puto; secus autem quoad sacramentum Ordinis, quando videlicet quis invalide fuisset ordinatus Subdiaconus, vel Diaconus, & postea valide suscepisset sacrum Ordinem Presbyteratus; & licet pro hac opinione non habeam auctorem, habeo tamen rationem, quæ magis valet. Nam, ut observat Sotus in *4. dist. 24. quest. 1. artic. 4. in fine* & Sanchez in *opusculo tom. 2. lib. 7. c. 1. dub. 14. num. 3.* & alij, Sacerdos ritè ordinatus licet alios Ordines non susceperit, potest omnium Ordinum functiones validè exercere, quia in eo virtute continentur: ergo si aliquis invalide ordinavit Subdiaconum, vel Diaconum, postea validè ordinatum Sacerdotem, non tenetur cum notabili periculo vite, aut famæ, manifestare talem defectum, quia, supposito, ut dictum est, charactere sacerdotali, validè exercebit functiones dictorum Ordinum, atque adeò mala, quæ timebat Ochagavia in nostro casu minimè sequi possunt. Unde optimè docuit etiam Jacobus Granado in *1. 2. D. Thom. controv. 9. tract. 1. disp. 6. num. 2.* dictos Ordines non esse ita necessarios, ut per sacerdotalem potestatem suppleri non possint munera, propter quæ instituta sunt, & præterea non habent annexum aliquem actum absolute necessarium ad fideliùm salutem, aut defectu cujus proveniat Ecclesiæ notabile damnum. Ita Jacobus Granado. Et ideo ex his nostram sententiam scio summopere placuisse pluribus Patribus Societatis Jesu. Secus autem dicendum erit, si invalide fuisset collatus Ordo Sacerdotalis, aut Episcopalis, & in hoc casu amplector opinionem Ochagavia; tunc enim puto cum periculo vite, aut famæ manifestandum esse defectum; quia alioquin sic ordinati exponerentur periculo non consecrandi, non absolvendi poenitentes, non ordinandi; sed cum id cederet in maximum fideliùm detrimentum: ergo, &c.

RESOL. X.

Utrum ministrans scienter Sacramenta in peccato mortali, peccet mortaliter? Ex part. 6. tract. 6. & Misc. 1. Refol. 53.

§. 1. Negativam sententiam probabilem esse puto, & docet Croulers in *Regul. in Sancti Francisci. c. 7. lect. 21. fol. 680.* ubi postquam hanc difficultatem proposuisset sic asserit. Ad quaestionem communiter respondetur affirmativè ex *cap. si justus, & cap. Remissionem*; nihil tamen in dictis Capitulis deprehendere potui, quod faveret opinioni affirmanti: nam quod ipse Gratianus ex Augustino in Can. relato infert, ex *cap. Remissionem*, Simoniacos non tantum inutiliter, sed perniciosè Unctionis Sacramentum habere, potius de receptione Sacramenti (Ordinis scilicet) intelligendum videtur, quàm de cujusvis Sacramenti administratione activa. Probatur etiam ratione D. Thomæ *3. part. quest. 64. artic. 6.* videlicet, Minister in mortali ministrans Sacramentum, non exercet hujusmodi functionem, ut oportet: ergo peccat sic ministrando. Antecedens probatur; quia Sacramenta à sanctis tractari convenit. Proba-

Sup. hoc in
Ref. seq. &
ne deferas
adhuc legem
re magis
strictam do-
ctrinam in-
fra in tr. 2.
ex Ref. 5. in
§. Et raa-
dem.